



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

XII. Hubaldus Episcopus Ostiensis laudatur ab Hugone Falcando quòd nullis precibus adduci potuerit ut causam quandum iudicaret cum collega sua muneribus corrupto.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

Baron. ad an.
1114. f. 1.

nalis, apostolicae sedis legatione functus in Dania primis Innocentij pontificatus annis, unde reversus est in Italiam anno MCXXXIV. quo tempore Pisanum Concilium celebrabatur. Meminit istius viri Ioannes Saresburiensis in loco paulò antè laudato, his verbis: *Quid referam Martinum, qui contra morem à legatione rediens pauper, cum ab Episcopo Florentino equum socio necessarium magna compulsus instantia accepisset, eundem restituit donatori, ex quo cum ab initio dati muneris causam in Romana Curia ventilandam habuisse cognovit.* Sed audiamus sanctum Bernardum. *Dignum nunc, inquit, ad medium venire factum dulcis memoriae Martini nostri. Nosti hoc, sed an memineras ignoro. Is Cardinalis Presbyter, functus aliquando legatione in Dacia, tam pauper remeavit ut penè expensis & equis deficientibus, vix perveniret Florentiam. Ibi Episcopus loci donavit ei equum, quo Pisas usque, ubi eramus tunc, pervectus est. Postridie credo secutus Episcopus, (erat enim illi causa cum adversario, & agendi aderat dies) cepit requirere suffragia amicorum. Cumque per singulos sollicitarentur, ventum est ad Martinum. Fiducia erat major in illo, qui non posset immemor esse recentis beneficii. Tum Martinus, Decepisti me, inquit, nesciebam tibi imminere negotium. Tolle equum tuum; ecce in stabulo est. Et hora eadem resignavit illi.*

X. Exclamat hoc loco sanctus Bernardus in felicitatem istius exempli, Eugenio tertio, ad quem ista scribuntur, aperte infinuans tanto magis aestimandum Martinum quanto minus frequentia erant exempla istiusmodi. *Quid dicis, mi Eugeni? Nonne alterius seculi res est rediisse Legatum de terra auri sine auro, transisse per terram argenti & argentum nescisse, donum insuper quod poterat esse suspectum illi co rejecisse? Et paulò post, cum retulisset historiam sturgionis repudiati à Gaufrido Episcopo Carnotensi, rursus exclamat: O si talium daretur virorum copia quales perstrinximus nunc? Quid te felicius, quid illo jucundius seculo? Nonne secunda ab aeternitate illorum tibi temporum beatitudo videretur, cum te quaqueversum procedens stipatum videres tam inclyto agmine beatorum? Deplorat deinde statum Curiae Romanae illius temporis. Et nunc, inquit, reduc oculos, mi Eugeni, ad eum qui nunc est Curiae sive Ecclesiae statum & studia Prelatorum, eorum praesertim qui sunt in circuitu tuo.*

Baron. ad an.
1111. f. 6.
Vide Ioannem
Hagysfeld, in
Continuaz hist.
Sincroniz Danicim.
146. 177.

XI. Idem sanctus Bernardus alibi impensè laudat alium virum sanctissimum, Ioannem videlicet Papanem, quem Eugenius III. Legatum in Hyberniam misit anno M C L I. ut in eam insulam quatuor deferreret Pallia, quorum usus illic haecenus non fuerat, adeoque Malachias Archiepiscopus illius insulae non habuerat plenitudinem pote-

statis. Non est hujus loci differere de his quae gesta ab eo sunt in illa legatione. Sufficit ostendisse mores ejus fuisse inculpato longè. que diversos à Iordano Legato, quem idem Eugenius in Germaniam miserat. Quippe sanctus Bernardus, cum enarrasset facta & horrenda facinora ac sacrilegia Iordani, de quibus supra dictum est, flectit deinde ad Ioannem Papanem, quem laudat ob diffinitudinem morum. *Non sic Dominus Ioannes Papanes, inquit, non sic, cujus laus est in Ecclesia, quippe honorificantis ubique ministerium suum.*

XII. Inter haec temporum mala nonnulli reperiebantur, ut vides, viri sancti, qui ministerium suum honorificabant, ut loquitur sanctus Bernardus, & neque muneribus neque gratia sinebant mores suos corrumpi. Iam antea locuti sumus de Ioanne Neapolitano Cardinale, quem unà cum Episcopo Ostiensi Alexander III. in Sicilia Legatum constituit. Et is quidem amore pecuniae fecit quicquid ab eo petebatur, nullam occasionem praetermittens congerendarum divitiarum, adeo ut causam injustissimam in se suscepit lucri causa. *Episcopus autem Hostiensis, inquit Hugo Falcandus, vir honestatis non indubiae, cum socium suum vidisset muneribus & gratia esse corruptum, eoque ipso rectè judicandi libertatem sublatam, nullis precibus adduci potuit ut eorum vellet iudiciis interesse. Erat is Humbaldus Episcopus Ostiensis.*

XIII. Admirabilem abstinentiam in Cardinale ejusdem nominis valde laudat sanctus Thomas Cantuariensis. Miserat Henricus secundus Anglorum Rex ad Curiam Romanam nonnullas auri libras, ut Baronius ait, erogandas in Cardinales, ut eos sibi propitios habere posset adversus sanctum Thomam. Victa est Curia Romana. Fuere tamen aliqui, & inter hos Humbaldus, qui Regis aurum contemnerent. Laudat illum, ut dixi, ob eam ipsam causam idem sanctus Thomas ad eum scribens his verbis: *Non abiistis post aurum, quo nuper ad lesionem nostram & apostolice sedis confusionem capti sunt quidam; quorum patrocinio receptis literis apostolicis, quas lectitari facit in utriusque regni compitis Rex Anglorum, se de Romana Ecclesia gloriatum esse triumphasse.* Ex hac Romana Ecclesiae sive Curiae mala consuetudine factum ait idem Thomas ut flagella Dei gravia & toti mundo vix portabilia veniant super eam.

XIV. Anno M C L X X V I I I. missus in Gallias est Petrus Presbyter Cardinalis Tituli sancti Chrysoconi. Occasio mittendi Legati fuit recens oborta haeresis in pago Tolosano. Laudat illius abstinentiam Henricus Abbas Clavallensis in epistola nondum